ORATIO
OXONIÆ
Habita,

In Schola publica Linguæ Græcæ assignatâ;

Die Mercurii 15 Kalendas Augusti CIↃ.IↃC.L.

A

JOANNE HARMARO
ejusdem Linguæ ibidem
Prælectore publico.

LONDINI
Excus. Typis *Guil. Du Gardi.* Veneunt ad Insigne Equi albi in Cœmeterio Paulino.
CIↃ.IↃC.L.

BODLEIANA · BIBLIOTHECA ·

Honoratiſsimo, Eruditiſsimóque Viro, ac Domino, Dno FRANCISCO ROUS;

NEC NON

Reliquis ejus Adſeſſoribus, quorum Autoritate & Conſilio res non tantùm utriuſque Academiæ; ſed etiam totius Reipub. geruntur; ſummam in utroque ſeculo felicitatem.

Hanc meam qualemcunque Orationem (Honoratiſſimi Viri!) Sub Veſtris Auſpiciis natam, &

habitam, Veſtro etiam, & Nomini inſcribere, & Patrocinio commendare auſus ſum. Siquidem nihil vel juſtiùs potui, vel libentiùs debui. Maximè verò, cùm multò plùs, quàm nunc affero, me debere fatear neceſſum ſit, & (quod majus) univerſa Vitæ meæ ſolatia & præſidia, non aliunde, quàm ex veſtræ munificentiæ fonte promanâſſe.

Quapropter

Quapropter accipite, obſecro, & agnoſcite quod Veſtrum eſt; (Veſtrum appello, quia Vos ſoli mihi Autores exſtitiſtis, ut eſſet) & pro prudentia Veſtra, & aſſueta manſuetudine, & candore, hæc humiliora, quæ manu à me, gratâ magìs, quàm plenâ, Vobis offeruntur, æqui conſulite; ut induſtria mea, cæteroquin prompta, à vobis excitata,

adaltiora ſubvolet. Ad quæ dum adhuc infirmioribus pennis enitor, porrigite mihi, quæſo, Veſtras auxiliatrices manus; nè, aut elangueſcam, aut fortean in medio volatu decidam. Sed nec ego quicquam à veſtra μεγαλοπρεπείᾳ *flagitare auſim, quòd vel nihil, vel aliud agendo, otiosè velim meam ſolius curare cuticulam; (quem in finem pleriqu*

omne

omnes collimant) ſed (in quantum poſsim) omni ope & operâ, Honori veſtro velificari, & Publicis inſervire commodis, quæ cuique bono ac honeſto viro, ſuis multò chariora ſunt habenda. Quibus dum vos augendis, tanquam benefica & ſalutaria ſidera, nunquam occidua, affulgetis; iiſque favetis maximè, qui maximè poſſunt in commune ali-

quid conferre; certè minimè mirum eſt, ſi bonorum omnium erga Vos ſtudia accendantur. Quæ tametſi magna ſint, & flagrantiſſima; Veſtra tamen in Rempub. merita non exæquant. Quis enim ità cæcutit, ut non videat, Veſtrâ curâ & ſolicitudine, nunc demum caput ſuum attollere Oxoniam; & indies in illa creſcere ſtudioſorum numerum, & illorum in ſtu-

diis

diis haud ſpernendum eſ. ſe profectum, &, de cæte. ro, uberiorem ſperari; Lin. guam Græcam & Lati. nam (propè jam exoletas) quaſi ſubactâ & trium. phatâ barbarie, inſperatò tandem refloreſcere; Fun. datorum Statuta (ortho. doxæ Fidei conſentanea) non ſine piaculo teme. randa cenſeri; Pietatis Ex. ercitia, & Literarum In. crementa, non eſſe ἀσύζατα; *munera*

munera honoraria (erudi-
tis duntaxat alendis, et co-
honeſtandis deſtinata) nec
in Ignaros, nec in Ig-
navos, nec in Ignotos, con-
ferri; nec exoticarum Gen-
tium veſpas noſtra depaſci
alvearia; Scholarum &
Collegiorum proventus,
non tantùm non interver-
ti, et in alienos uſus dilabi;
ſed etiã Veſtro in utramq;
Academiam et Literas a-
more, auctiores multò et cu-
mulatiores

mulatiores reddi; Bibliothecam hanc noſtram, ingentem illam Librorum Metropolin, (cujus vel ipſa Vaticana eſt æmula) etiamnum inter Arma manere ſartam tectam, & illibatam conſervari; Academicos à turbis, et vel ab ipſo periculorum metu immunes, in Muſæis ſuis, otio Literario dicatis, conquieſcere? Siquis ergò ſit tam perditè et uſquequaq; nequam,

nequam, ut honorificos labores Veſtros, identidem recurrentes ; & hos ampliſſimos Veſtrorum labo. rum fructus viperino dente velit arrodere ; indicio eſt, hunc miſellum homuncionem (ut nè dicam belluam) Vobis, et Diſciplinæ inſtaurandæ, & Literaturæ promovendæ gloriam ; & Academiis Literaturam, invidere. Quod quidem tam eſt in ſe flagitioſum,

ſum, et Eccleſiæ Chriſti tam tetrum & funeſtum; quàm eſſet à nobis ingratiſſimè factum; ſi Veſtram in negotiis peragendis Induſtriam; in periculis ſubeundis Fortitudinem; in Conſiliis agitandis et conferendis Prudentiam agnoſcere, Vobiſque ſaltem bene cupere, detrectemus. Sed nè longo ſermone Veſtra tot et tanta negotia, et præclariſſima incœpta,

diutius

diutius interpellem, à Deo Opt. Max. ardentiſsimis votis & precibus contendam, ut Dignitatem Veſtram æternùm ſoſpitare velit, omniáque Veſtra Inſtituta, in Nominis ſui Gloriam; in Eccleſiæ Pacem; in Communem Patriæ noſtræ ſalutem, dirigat, & ſecundet; & ut Vos deinceps (quorum in ſinu reſpirat Academia) pergatis in utraque

utraque Repub. emendandâ Legibus, exornandâ Moribus, & Virtutibus Vestris Heroïcis illustrandâ; ut habeat Ætas præsens, quod admiretur, & amet; imitetur Postera.

Dat. Oxoniæ 12. Kalend.
Octobris Anno Æræ
Christianæ CIↃ.
IↃC. L.

Dignitatis Vestræ

Cultor

Devotissimus

Jo. HARMARUS.

ORATIO
OXONIÆ
Habita,

In Schola publica Linguæ Græcæ asſignatâ.

QUùm mihi tot Muſarum Cultores, tot erudita capita affluxiſſe videam; cùm & in hoc tempus inciderim, finitimum

timum * illi antiquitus celebrari ſolito ; certè , pro veteri More,pro ſuſcepto Munere, pro ſolenni Tempore, præfandum eſt aliquid, haud omnino indignum, Tanto, vel Amore, vel Judicio,vel Silentio Veſtro. Et gratulandum etiam, Mihi , Vobiſque pariter, (Florentiſsimi Academici!) quòd inter Claſsica, quòd in medio Armorum ſtrepitu & fragore, Populorum fremitu,Militum concurſu, liceat mihi, & Vos affari, & à Vobis audiri , & per unius horulæ compendium internoſci. Et gratulandum inſuper , apud Vos

* *Quatriduo, Comitiis Oxonienſibus (jam integrum Decennium haberi deſitis) Menſe Julio celebrandis deſtinato.*

Vos hodie, Martem ipſum excubare Muſis; & in Illarum Caſtris, ſua nunc habere Stativa; nec aliam tamen, hìc, quàm Minervæ vibrari haſtam; nec Arma tractari ulla, niſi quæ Rempub. quæ Eccleſiam, quæ Academiam, quæ Literas propugnent. Ut hìc, Paludamentum ſit Palladium. Sed & lætandum etiam, & quidem majorem in modum, apud Vos, jugiter, obtinere Leges, Scripturas elucidari, Pietatem coli, Improbitatem explodi, Lites conſopiri, Mores refingi, repullulare Artes, renaſci Academiam,

Linguas excoli ; eásque Primarias, in quibus Humanarum rerum , Divinarúmque Scientia continetur. Non heſternas iſtas , deformia Romani Sermonis jamdudum attriti rudera ; Sed Illas, quaſi Majorum Gentium Linguas, Hebræam, Græcam, Latinam. Sed neſcio quo malo, vel omine, vel etiam inimicorum molimine (qui, ut perdant omnia, Literaturam eunt perditum) circa ſtudium hujuſce Linguæ Græcæ , (quæ in illa Divina Linguarum Triade , in illa Divinante Crucis Epigraphe media fuit , ac proinde vir.

tute

tute loci optima) quà, ſupinâ, & veternosâ hominum incuriâ; quà duriorum temporum inclementiâ, hæc noviſsima ſeneſcentis Mundi ætas elanguit. Quippe jam, Seſquiannus eſt, & amplius, et quidem totum Trimeſtre, & quod excurrit; cùm, in hoc ampliſsimo Gymnaſio; cùm, ex hoc, non in celebri Suggeſto, tot Clariſsimis Viris, Haleſiis, Hariſiis, Sowthis, Stringeris, (& quidem memoriâ noſtrâ) nobilitato, cùm, inquam, vel unum Græcum verbulum, aures, mentéſque Veſtras demulſerit. Quod

quidem, æquè mirandum eſt, ac dolendum; cùm præſertim, tum in Publicis hujus Academiæ ſpatiis, tum in privatis etiam Muſarum umbraculis, tot ubique reperiantur, quibus tam in proclivi fuiſſet, Lectoris Græci munere defungi, quàm eleganter Latinè loqui. Verumenimvero, cùm in tot menſium decurſu, ad hoc non leve, fateor, onus ſuſtinendum, nemo quiſquam prodierit; (niſi quem exile ſtipendium deterruit) ego certè, Amicorum meorum impulſu, (citra cujuſquam injuriam) quamvis (a) Ἐπιμελὴς

(a) *Diligentior, quàm ingenioſior.* Suidas *de* Demoſthen.

λὴς μᾶλλον ἢ εὐφυὴς, & , veluti , Σφὰξ βομβῶν τετίγος ἐναντίον——aliquà ſaltem, pro meo modulo, inſervire Publico diſcupiens ; nec ambitione ductus, aut gloriolam aucupatus ; nec Lucelli alicujus ſpe, & illecebrâ pellectus; nec in paucis optimus, nec in multis peſsimus, poſt tam diuturnam moram, & ſtupendum ſilentium ; in hanc lucem , & frequentiam Veſtram, in hunc amœniſsimum conſpectum , & in oculos Veſtros nec-opinatò proſilui, non aliis , quàm Illorum, & Votis , & Auſpiciis, quorum

Crabro ſtrepens cicadam contra. Theocrit.

fidei Summa Rerum eſt commiſſa ; & ſingulari modo, Urriuſque Academiæ cura demandata ; qui & ipſi aliquando fuere Academici ; qui Magni ſunt, &, (quod majus) Docti : quorum in Auxilio, (& Candore Veſtro) plus fiduciæ, quàm in tenuitate mea, metum repoſui. Et hoc certè ſolatio mihi opus fuit, & quaſi Analeptico, tam operoſam & ſpiſſam provinciam aggreſſuro, tot cernulorum ſtylis obnoxiam, tot opinionum ſetis expoſitam. Ut profectò, ſecuram, & deſidem vitam mihi minimè

accerſiverim ;

accerſiverim; (nedum Græcorum Illam Παχτώνην) ſed moleſtias, & Vigilias, & curas, & *Laſsitudinem*, ut aït Comicus, *labore exigundam*; & crebros anxietatis paroxyſmos; & quaſi in diſcriminis aciem me illiſerim, & Spartam, non turpi & ignobili otio infamandam, capeſſerim. Ad quam ornandam, experrectus & alacris futurus ſum; non modò, quòd εὐφημία Veſtra mihi afflaverit; Sed quòd etiam ab indole mea, ab ineunte ætate, & quaſi * ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων, huic Linguæ ſemper fuerim addictior.

Facilitatem vivendi.

* *à teneris unguiculis.*

ctior. Utqui facilè perſpexerim, omnes *Liberales Artes*, ſive *Scientias*, (ex [a] *Ægypto Artium Matre*; & *à Chaldæis* primitus in Græciam traductas) hanc *Linguam Græcam*, & *Primam*, & *Solam* excoluiſſe. In qua una, tanquam in communi *Literarum* ærario, Diſciplinarum omnium Theſaurus reconditur. Quippe, ut [b] ille Magnus Angliæ Can-

a *Macrob. in Saturnal. & in Somn. Scipion.* Achilles *Scholiaſtes Græcus in Arati Phænomena. Huc etiam pertinet illud* Baſil. *in Lib.* de Legendis Gentilium Libb. *In quo aſſerit Moſen ſuiſſe inſtitutum ab Ægyptiis*; *Danielem à Chaldæis.* Et *illud vel maximè Actor. 7. V. 22.* Ἐπαιδεύθη Μωσῆς ἐν πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων.

b *Dominus* Thomas Morus *in Epiſtol. ad Oxonienſes; cùm Ling. Græcæ ſtudium non modò jaceret, ſed etiam ab aliquam multis ludibrio haberetur. Hujus Epiſtolæ copiam mihi primus fecit Dominus* Jacobus Howellus, *Vir non tantùm humaniſſimus, ſed etiam multijugæ Literaturæ cultor aſſiduus. Hæc Epiſtol. memoratur ab Eraſmo Epiſtolar. ſuar. lib. 6.*

cellarius asserit, *nihil habent Scholæ Latinæ, nisi vel Græcum, vel quod è Græca Lingua traductum est*; exceptis duntaxat his, quæ [c] *Cicero reliquit*, et *Seneca*. Quinetiam, manifestò constat ipsam *Linguam Latinam*, (quæ jam in omnes Mundi oras se explicuit, & ultrà quàm in quas Augusti Aquilæ devolârant) maximam partem ex ubertate Græca profluxisse. Non solummodo quoad *voces* (quas propemodum omnes Linguæ Græcæ acceptas refert) sed etiam quoad *Inflexiones* Vocum, et earundem *Syntaxin*, sive

[c] *Non minùs* Philosophandi *studium professus, quàm* loquendi. *Macrob. in Saturnal. Hic etiam Posidonium audivit Rhodi.* Strabo. *lib.* 14.

ſive coalitum. Id quod tam liquidò patet, ut mihi, qui brevitati ſtudeo, pluribus adſtruere, nec ſit opus, nec animus. In pauca tamen digitum intendam. Ne longiùs abeam; nónne vocabulum [Familias] *Fine*, ſive *Terminatione* ſuâ (quam vocant) *Græcum* eſt? *Decet tibi*, *Pugnare alicui*, *Rubet capillum*, *Triſte lupus*, *cernit acutùm*, *tranſverſa tuetur*, *cætera lætus*, nónne *Græcam* indolem reſipiunt? Immo Vox iſta [*cætera*] Latina ferè habita, hauddubiè ex familia *Græca* eſt oriunda. Quid enim aliud eſt

[*cætera*]

[*cætera*] quàm καὶ ἕτερα? Pari modo [*Filius*] deducitur à φίλος, *charus*, vel amicus. Quilibet enim *filius*, quantumvis improbus, ſuo tamen parenti *charus* eſt; ut olim *Davidi Abſolon*, perduellis licèt, & luxu diffluens. Hâc etiam Στοργῇ pius Æneas erga filiolum ſuum incaluit: *Amore naturali.*

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura Parentis.

Et Telemachus apud Homerum, appellatur à Minervâ,

——[d] Ὀδυσῆος φίλος υἱός. d *Odys.* γ. charus Ulyſſis filius.

Et apud Homerum alibi, τῷ τέκνον, φίλε (pro φίλον) attribuitur. [e] Δῶρόν τοι καὶ ἐγὼ τέκνον φίλε τῦτο δίδωμι. e ô chare fili, hoc ego donum tibi do.

Et

Et tritum illud vocabulum, *Magiſter*, non videtur aliunde derivatum, quàm remotè à Μαγίζω, i e. ſapienter me gero: non à *magìs* & *ter*; nempe, ut Magiſter ſit *ter magìs* doctus, quàm alter quiſpiam, ut vulgus Grammaticorum cenſuit. Hallucinantur etiam qui deducunt [*Presbyter*] aliunde quàm à *Græco* πρεσβύτερος. Etenim illud Etymon τῦ Presbyter, ut ſit quaſi *præ aliis bibens ter*, tam ridiculum eſt, ut vel Heraclito poſsit cachinnum excutere. Ut auſim fidenter dicere, neminem eſſe poſſe inſolidùm *Latinum*,

tinum, qui non aliquo tenus *Linguam Græcam* tenuerit. Cujus etiam *Elementa*, ſive *Literæ*, (quod obiter moneo) *Venuſtatem* præ ſe ferunt cum *Majeſtate* conjunctam : &, quod eſt amplius, quædam etiam in Illis *Artium* ſemina deprehendimus. Ut reliquas taceam, ecce vobis in ipſa Literarum *figura*, Geometriam. In ν minuſculo, ὀξυγώνιον ; in Τ majuſculo & minuſculo, ὀρθογώνιον ; in υ minuſculo ἀμβλυγώνιον ; in Π majuſculo, tantùm non τετραγώνιον ; in Υ majuſculo, (literâ Pythagoricâ) [f] Palamedis tamen invento)

[f] *Plin. Hiſtor. lib. 7. Cap. 57.*

invento) utriuſque, & Viæ, et Vitæ Symbolum. Tum porrò, in Δ majuſculo, τριγώνιον animadvertimus. Et agnoſcimus etiam, huic Literæ præ aliis honorem non levem à Veteribus fuiſſe delatum. Siquidem Illi, *Tabulas* ſuas *Scriptorias*, (ſive *papyraceas*, ſive *æneas*) in triangularem formam redactas, [a] Δέλτους appellârunt. Et hujus etiam *Elementi* figura, uſqueadeo ſeniori *Plinio*, & *Ptolemæo*, & *Pomponio Melæ* arriſit, ut illorum ſinguli, inferiorem Ægyptum τῷ Δέλτα comparârint, eodémque nomine

[a] *De his triangularibus Libellis conſule Notas Cl. Longhaini ad Longin. περὶ ὕψους. pag. 38.*

mine inſigniverint. Huc etiam accedit, quòd hanc ipſam *Literam* Aſtronomia in cœlum evexerit, et Stellis ſuis affinxerit, et huic quaſi ἀποθέωσιν dederit. Hæc autem fortaſſe cuipiam minutiora videantur, quàm ut illis diutius immoremur. Quocirca ad majora tendimus. Quid? quòd probatiſsimæ fidei, nec dilutæ autoritatis Scriptores, *Strabo* et *Julius Cæſar*, memoriæ prodiderint, *Gallos* et *Helvetios* de Linguis ſuis vernaculis viliùs cogitâſſe; ac proinde, in *Illarum* locum Græcam ſufeciſſe, ut Illi [b] *contractus ſuos*;

b ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν. Strabo lib. 4.

Hi [c] *Tabulas Græcè ſcripſerint.* Quid? quòd etiam ipſe Salvator noſter Chriſtus ex α & ω, Litterâ *Primâ*, & *Ultimâ*, ſibi nomen effinxerit. Nunquid aliud ad *Linguæ Græcæ* gloriam validius, aut etiam Auguſtius afferri potuit; Nimirum, Ille, Cujus *Nomen* eſt ſuper omne *nomen*, *Nomen* ſibi à *Lingua* Græca ſumere eſt dignatus. Non à Latina, aut ab alia quapiam *Lingua*, nec ab ipſa quidem Hebræa. Quam tamen non diffitemur eſſe ſanctam, ratione *Autoris*; eſſe primam, ratione *Ordinis*; eſſe grandiorem

[c] *Cæſar lib. 6.*

orem Græcâ, ratione *Ætatis*; utquæ originem ſuam longè altiùs arceſſat; immo quæ fuerit Adamo Protoplaſtæ coæva, & quaſi connatâ. Qui, cùm nunquam fuerit infans, verùm [d] ἀκμῆος veluti ex *Telluris* gremio, aut potiùs ex Divinarum Manuum utero elapſus, eodem temporis articulo, cœperat *Eſſe*, & *Loqui.* Cæterùm, uit ut, honorem tantum, & plurium annorum palmam, huic primævæ Linguæ deferre non gravamur; nulla tamen extant Hebraïca volumina, præter *Teſtamentum Ve-*

d *Ætatem conſiſtentem adeptus.*

tus, & iſta *Rabbinorum Commentaria*, ut nè dicam, *Commenta*. Ut hæc *Lingua*, quæ ſemper intra ſua ſe pomeria continuit, unius tantùm ſit, & *Voluminis*, & *Gentis*. Et hocpropter, minimè exiſtimandum eſt, hanc *Linguam*, ſe in omnium ubique terrarum hominum utilitatem effudiſſe. Hæc enim Theologorum eſt propria, iiſque duntaxat accommoda, ut deſtinata; quibus unicè inſervit ad elicienda πορίσματα, ex quibus aliqua ſaltem diſſerendi ſeges efflореſcat. At verò (ſi rem rectè putemus) ætati

ætati muſteæ, & Ephebis minùs convenit, vel in *Philoſophico*, vel in *Philologico* ſtadio decurrentibus: nec ab illis quidem priùs attingenda eſt; quàm duas Illas eruditas *Linguas* (etiam divinitus datas) imbiberint; quas Romanus Vates tyronibus imprimis commendatas eſſe voluit, in hæc verba;

Ne pigeat *Linguas* edidiciſſe *Duas*. *Ov.*

His enim in communi vita carere non poſſumus, *illâ* poſſumus. Quis enim *Academicus* unquam, aut *diſputavit*, aut *peroravit* Hebraïcè? Quis *Legatus* ad exteras nati-

ones miſſus, res ſuas *Hebræâ* uſus *Linguâ* geſsit? Quis prudens, aut cum peregrinis, aut cum neceſſariis congreſſus, pro *Latinis*, aut *Græcis*, *Hebraïca* reponet? Quis ſanus ad *Familiares* ſuos epiſtolas Hebraïcas dabit? Quis mentis compos ſuas arrexit aures ad Sirenas illas in Synagôga Judaïcâ ſuaviſsimè cantitantes, *inſtar felium Menſe Martio catulientium*? Siquis autem in ea ſit hæreſi, ut Juventutis ſtudiis, & in Literis profectui, abunde conſultum autumet, ſi (quod Eruditioni acquirendæ impendi debuit) in

[a] *Buxtorf. in Synagog. Jud.*

in *Hebræam Linguam*, (cujus nullus fere niſi *concionatoribus* eſt uſus) aureum vitæ tempus, & ſolidos dies inſumat; viderit tamen, ne [b] *Humanioribus Literis* non poſtremis interpretandi *Scripturas* inſtrumentis, moram injiciat. Viderit etiam, nè importunus hic Hebraïzandi fervor, *Inventionis* ſuccum populetur; & Oratores nobis Tithonios & exſangues reddat. Neque tamen hoc ideo dico, quòd huic Linguæ velim quicquam detractum, nedum illi fuliginem effundere; (quod piaculum eſſet) ſed ut

b *In hanc ſententiam, vide Doctiſſimi Langbaini Epiſtolam, quam Longino præfixit.*

ab ejus *Immodico*, & *Intempestivo* ſtudio adoleſcentes revocem, et quaſi detorqueam, ut ad ſe redeant. Nec aliter facio, quàm *Ariſt. Eth.* prudentiores hortulani ſolent, qui incurvos ſtipites in adverſam partem deflectunt, ut ad juſtam demum rectitudinem redigant. Quàm autem multò lepidiùs, & cum minore *Literarum* detrimento, hæc alioquin *ſuprema* Lingua, ad *mulierculas*, ad *Lixas*, ad *Mancipia*, & ad infimam plebem eſt delapſa? Quam etiam hodie, Σκυτοτόμοι, καὶ Τέκτονες, καὶ Βαφεῖς, καὶ χαλκεῖς, & complures alii

alii ejuſdem claſsis ῥυπογλύφοι, in aliquo ſecreto lare, aut gurguſtio venditant, & ad ravim uſq; deblaterant; &, populo imponentes, ex ea deinceps quæſtum faciunt, eâdemque fronte, quâ jam dicta Operarum colluvies, Medicinam olim factitavit Galeni tempore. At enim, iſti homunciones eruditi Linguam *Novi Teſtamenti*, Septuaginta Veteris Interpretum Verſioni haud diſsimilem, quam ubique citant Apoſtoli, quam etiam Apoſtolis Amanuenſibus Chriſti Spiritus Sanctus afflavit; ut

c Sutores vel calcearii, & Fabri, & Tinctores, & Ærarii. Galen. De Method. Medendi lib. 1. Cap. 1.

Arabicæ

Arabicæ tipulas, aut Elementa Runica, aut ut Chinenſium Scriptionum [d] γοργότηλας & crabrones, non averſantur modò, ſed etiam reformidant: non quod aſſequi Græcum nollent, ſed quòd nequeant; & ideo nequeunt, quia docti *videri* malunt, quàm *eſſe*; & *otioſi* eſſe, quàm *docti*. Et nè illorum animi ad plura deflexi, quaſi luxati fatiſcerent; lætantur etiam non eſſe libros Hebræos plures uno. Sed nec in hoc uno tamen, meditationes ſuas altiùs defigunt; quin potiùs, ligurientium more,

d *Horribilitates, vel terribilitates.*

more leviter tantùm, & quaſi extremis labris deguſtant. At verò *Linguam Græcam* tam pavidè reſpuunt, ut cum illa nullum ſint unquam habituri commercium. Miror quid illud ſit, quod obtendere poſſint. Difficultatem? Certè volentibus nulla eſt. Aut ſiqua ſit, paucis tamen *Præceptis*, & *Figuris* eludi; & hic nodus aliquo quaſi judicii epiplaſmate emolliri poſsit. Aut ſi fortè Librorum Græcorum multitudinem cauſentur. quis unquam dives opulentiam ſuam ſibi gravem eſſe ſenſit, aut nimiam cenſuit? Quis ſapiens, cui

in

in fundo ſuo, vena, vel Auri, vel Argenti ſuppetat, conqueritur illam in multa jugera prolapſam; Certè hanc illorum tam ineptam & puſillanimem querelam, nec ſine riſu et cachinno excipiendam, tam nobiſmet ipſis gratulamur, quàm non diffitemur eſſe veriſsimam. Quis enim Sciolus licèt non videt; quis paulò eruditior non gaudet; quis tam barbarus ut non agnoſcat; quis tam ſurdus ut non audiverit, *Linguam Græcam*, non tantùm non eſſe μονόβιβλον, ſed etiam πολύβιβλον; & variâ ſuâ ſupellectile

lectile omnes ubique gentium Bibliothecas opplêſſe; & inſtar Oceani ſe quàm latiſsimè diffudiſſe; & immenſo quodam *Artium* & *Scientiarum* diluvio, *Orbem, Secula, Ætates* inundâſſe? Ut certè quidem hæc *Lingua*, *œcumenica*, & dici poſsit, et debeat: quæ Regiones omnes, non peragravit modò et luſtravit, ſed etiam inſedit; ut propè nulla gens ſit, quam non Græcum Pallium veſtiverit. Cùm præſertim multis retro ſeculis, tam latè patuerit, quàm Græcorum olim deductæ *Coloniæ*, aut *Commercia*, aut *Bella* patuere.

a *Cl. Brerwoodus Anglus, in libro ſuo de Linguis inquirendis.*

tuere. Ut decurſu temporis, in [b] Aſiam, et in Aphricam, et in Boreales Europæ partes ſe laxaverit. Quæ, vel ipſo *Gentis Imperio* (ducentis abhinc annis [c] exciſo) vivacior, etiamnum viget, & floret, & magis magíſque inclareſcit. Et hæc etiam [d] pervetuſta licèt, ſuum tamen non ſentit ſenium, at in amplexibus ſuis, tanquam in *Archivis*, conſervat omnia, & Virtutis monita, & Veritatis monimenta. Et, cùm pleræque omnes *Linguæ*, (exceptâ Latinâ) & (ex aliorum fide) Arabicâ,

b Magna Vis Græcæ Juventutis, abundantiâ virium ſedes quæritans, in Aſiam ſe effudit. *Patercul.*

c *A Mahometo. Calviſius & alii.*

d-- Græcorum ſunt antiquiſſima quæque Scripta-*Hor.*

Arabicâ, (cujus indagatio vereor nè laborioſior ſit quàm utilior) anguſtum habeant *Vocum* Apparatum; & in iis multarum rerum *Appellationes* requirimus; tam copioſa tamen eſt Græca, ut uni *rei* plura *nomina* indiderit: ut, μῆνις, μένος, κότος, χόλος, ſunt apud Homerum [iræ] nomina: apud quem tamen ὀργὴ non occurrit; ut nec (quod obiter) Τύχη. Et ut uni *rei* plura *nomina* impoſuit; ita ſæpiuſculè res plures in ſingulas *voces* coarctavit. Quales ſunt illæ, πληροφορία, ἀποκαροδοκία ἀφιλοτιμία,

μία, περιαυτολογία, ἐπιχαιρεκακία, ἀναζωπυρέω, & innumeræ aliæ; quas ſi percenſeam, Dies & latera me deficerent. Hoc etiam habet hæc Lingua Græca, ut harum, & ejuſmodi compoſitarum Vocum in Grammatica, in Logica, in Geometria, in Rhetorica, in Theologia, in Medicina, occurrentium, *ſenſus* intelligi poſsit, at *aliâ* efferri *Linguâ* commodè non poſsit. Quem latentem licèt, interiore tamen animi oculo luculenter intuemur. Sic etiam in illimi & limpidiſsimo amne piſcem in glarea

rea luſitantem carpimus oculorum hamo. Pari modo, apiculam electro demerſam clarè cernimus;

[a] *Quæ latet & lucet Phaetontide condita gutta.* [a] *Martial.*

Immo ſimplicem illam vocula m [Σωτὴρ] confirmat [b] *Orator* uno Latino verbo exprimi non poſſe. Et, ſi tanta ſit in *Literis* Venuſtas, tanta in *verbulis* majeſtas; quanta, quæſo, *Græcorum Scriptis* & *Lucubrationibus* nobis in omnes uſus inſervientibus, Veneratio debebitur? Siquidem nulla eſt illorum pagina, quæ non ſit aliquo ingenii aceto perfuſa; [b] *Cicer. 4. in Verrem.*

& alicujus ſententiæ ſtellulâ illuminata. Quæ χήματα! Quæ χρώματα! Quæ *Rationum* momenta! Quæ πάθη! Quos lepores nobis ubertim affudêre! Tum etiam, nulla in Alcinoi, vel Heſperidum Pomario pulchriora viſuntur χρυσᾶ μῆλα, quàm ſunt illa in *Pythagorico Carmine* χρυσᾶ ἔπη. Nè longior ſim, neve tædium à me vobis obrepat: Quanta præbent oblectamenta viridantes *Heſiodi* ſegetes? Quàm ſuaviter irritant aures *Theocriti* cicadæ, ſibi alternatim & diſpertitis vicibus accinentes? Τέττιξ τέττιγι μελίσδεται.

cicada cicadæ accinit. Theocrit.

Sed

Sed hoc illarum Colloquium non ſine adſtantium voluptate celebratur in *Segete*. Quàm etiam ejus amæniores *Sylvulæ*, & *Ruſcula* mentem graviori-bus ſtudiis anhelam & ſuſpi-rantem recreant ? Quàm blandè diffuſis arborum co-mis aura lenis immurmurat ? Tum, ſi effusè ridere velis, & quaſi in cachinnum dif-fluere, præſtò tibi ſunt *Ariſto-phanis* facetiæ, & *Luciani* ſales, quibus tam lepidè Philoſo-phos ſui ſeculi defricuit. Sin verò corrugare frontem velis, in admirationem ſuî rapiet te *Ariſtotelis* ſapientia ; *Demo-*

Sthenis accurata & vincta oratio ; *Isocratis* numerosa facundia ; *Xenophontis* & *Platonis*, facunda simul, & prudens Pagina ; *Plutarchi* Omnigena Literatura. Quorum omnium Autorum Labella melle Attico delibuta, elegantias cum ingenio stillant. Quibus tamen egregiis Scriptoribus *Ælianus* impar non est ; qui Italus licèt, nec Romæ fines unquam egressus ; *Varias* tamen *Historias* (præter illas de Animalibus) non vulgari, sed limatissimo stylo conscriptas, æternitati consecravit.

vit. Nos autem, (quæ nostra est Væcordia) *Linguâ Græcâ*, & *Latinâ*, (duobus Academiarum fulcris) susque déque habitis; tibicines Musarum ædificiis sustinendis impares substernimus: & utriusque inscitiam, turpiter & solutè nobis impingi patimur, dum in putidas nuperasque Linguas liquescimus, easq; (quod deterius) inutiliter & magno præstinamus; & pro lana pilos tondemus. Quis autem nisi mentis impos,

——[a] τρίχας ἀντ' ἐρίων ἐποκίζατο; τὶς δὲ παρεύσας
Ἀιγὸς πρωτοτόκοιο κακὰν κύνα βούλετ' ἀμέλγειν;

[a] -- *pilos pro lanis totondit? Quis autem præsente Caprâ primiparâ, malam conem vult mulgere.* Theocrit. Quis Idyl. 5.

Quis *Radicibus*, aut oleribus, aut glande victitare mallet, & *Recentium Linguarum analectis*, quàm lautioribus illis *Græcorum* cupediis? Quis acrem haurire Vappam; quàm mellitissimam illam *Linguæ Græcæ* promulsidem? Sed nec in his Linguis, (in quas tam præceps & prona ruit hæc male-suada & decolor Ætas) quicquam egregium inest, quod non fuerit ex Græca penu depromptum. Etenim (dicis causâ) Gallorum [car] ortum est ex Græco [b] γαῖρ: et [*orgilieux*] apud Dubartassium, fluxit à Græco

b *Vide* Stephan & Perion. *In libro de Linguis.*

co ὀργίλος, iracundus : & [*Parler*] Gallicum, et Italicum [*Parlare*] (quod eſt Græco vicinius) natum eſt ex παρλαλεῖν. Quid ? quòd etiam in Linguam *Cambro-Britannam* (cujus Numeralia leviter immutata græciſſant ;

1	Camb.	*Græcè.*
1	*Ene.*	ἕν.
2	*Doi.*	Δοιὼ (*poeticè*) *pro* Δύο.
3	*Trei.*	Τρεῖς.
4	*Peddar.*	Τέπαρες, *pro*, Τέσσαρες.
5	*Pempt.*	πέντε.
8	*Oict.*	ὀκτώ.
9	*Nau.*	ἐννέα.

10 *Dég.*	Δέκα.
11 *Enardeg.*	Ἕνδεκα.
12 *Duardeg.*	Δυώδεκα.

Et ſic etiam reliqua ad 20; Cambrobritannicè , *Eigen* ; Græcè , Εἴκοσι) et in *Anglicam*, & in *Germanicam*, & in *Hibernicam* , ex Græco multum irrepſerit ? Et in vernacula noſtra , etiam illa verbula, quæ Græca non exiſtimes, Græca tamen ſunt. Indulgete mihi veniam, ut ex ea paucula delibem. *Choler* , manifeſtò fluxit à χολή. *Rheume* , à ῥεῦμα, fluxio. *Cops*, (ſylva cædua) à κόπτω, ſcindo. *Schoole*, à σχολὴ, otium.

otium. Studiosis otium & secessus convenit. *Earth*, ab ἔρα, terra. *Grass*, à γράσις, gramen : vel à γράω, γράπω, edo. *Plate* à πλατὺς, latus : fit enim ex metallo in laminam dilatato. Quinetiam lactentes infantuli, primulam suam à vocalis Græcis auspicantur loquelam : sc. à[d] μὰ μὴ, mater ; & τάτα, honorifica Senioris appellatione. Quinetiam (quod mihi penè exciderat) quatuor illa *Latinarum Conjugationum* Exempla in trivialibus Scholis tradita, & hactenus etiam à Grammatistis Latina credita ; illa nempe,

[d] *Martial. lib. 1. ep. 68.*

pe, quæ pueri cunis emersi cum lacrymulis sorbent, penitiùs introspicienti Græca sunt. Est enim *Amo*, ab α epitatico, & μάω, *quæro* (*Hesychio*); frequentiùs autem, *vehementer cupio*. *Doceo*, à Δοκέω, *videor*: non enim docemus, nisi quæ nobis rectiora videntur. *Lego* verò liquidò Græcum est. Et Audio ab ἀυδὴ, vox. Necnon Lingua Græca retorridam illam Hispanorum Linguam aliqua vocabulorum adspergine irroravit. Etenim, apud illos, *Nemos*, *Stolidus* est, vel *insulsus*, à Græco, νεμός. Et ut illi vocabulum

bulum hoc ſuum L. Græcæ debent, ita etiam Anglicum illud probroſum diverbium, *Ninni-Hammer*, debemus Hiſpano, *Nenni hombres*, i. e. *Homines ſtolidi*. Quam uſqueadeo Germani ſemper admirati ſunt, ut Nomina ſua vernacula in Græca tranſtulerint. Ille qui à Patre *Swartſerth* dici debuit, *Melanchthon* dici maluit; *Newman*, *Neander*; *Churchyard*, *Polyander*; *Freeman*, *Leuther*, ab ἐλεύθερος. Sed neque Galli tantùm, & Itali, & Angli *ſua Verbula*; & Germanorum celeberrimi ſua *Nomina*, à Græcis emendicârunt; Sed etiam (ut

Hanc Etymologiam mihi primus ſuggeſſit Dominus Balæus, Anglus, Vir & amiciſſimus, & variis etiam linguis, & multiplici eruditione excultiſſimus.

(ut dixi antea) tota Literaturæ Romanæ compages non ab alio pendet, quàm à Græco Cardine. Ut mirum sit[a] *Tiberium*, & *Claudium*[c] *Cæsares*, huic Linguæ tam infensos, quàm Genti ingratos, fuisse; ut Ille, Linguam Græcam despectui habuerit; Hic, odio. Quo in Græcos tam vehementer incanduit, ut Græcæ Provinciæ Principem ex Albo Judicum eraserit, quòd Græcè, & non Latinè Senatum sit affatus. At infrunitus hic et cerebrosus Imperator fecit, contrà quàm horridus ille et bellicosus Afer feciſſet, qui

[a] *Alex. ab Alexand.*

qui apud Alexandrum in Dialogo gloriatus est, etiam *se* didicisse [b] τὴν Ἑλλάδα φωνὴν. In qua necnon perdiscenda, *Cato* Romanus, idémque sapientissimus, non inficiatur se libentissimè consenuisse. Neque tantùm incultum Afrum, aut prudentissimum Senatorem in hac Lingua excolenda desudâsse, memoriæ proditum est; sed etiam ipsos, Evangelii Christi præcones, *Apostolos*, huic Linguæ, præ omnibus aliis, quas Divinum Numen inspiraverat, assueviſſe; eâdemque sacras suas impleviſſe pagi-

[b] Lucian.

nas.

nas. Huic etiam, Paulinæ facundiæ gemmas debet Ecclesia. Ecce vobis unam, pretiosam illam, & fulgentissimam: ὁ μεταδιδὺς, inquit ille Doctor Gentium, ἐν ἁπλότητι; ὁ προϊσάμενος, ἐν σπουδῇ· ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι, ἡ ἀγάπη ἀνυπόκριτος· ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ. Τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι. Τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι· Τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί· Τῷ πνεύματι ζέοντες· Τῷ Κυρίῳ δουλεύοντες. Τῇ ἐλπίδι χαίροντες· Τῇ θλίψει ὑπομένοντες· Τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντες· Ταῖς χρείαις

αις τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες. Τὴν φιλοξενίαν διώκοντες. i. e; qui distribuit, cum simplicitate: tum qui præest, cum diligentia: tum qui miseretur, cum hilaritate: charitas esto minimè simulata: estote abhorrentes à malo, agglutinati bono: fraternâ charitate alii ad alios amandos propensi: honore alii aliis præeuntes: studio minimè ignavi: Spiritu ferventes: Domino servientes: Spe gaudentes: in afflictionibus tolerantes: in oratione perdurantes; usibus sanctorum communicantes: hospitalitatem

tem ſectantes. Quæ una cæleſtis & flexanima rhetoricatio, totam Chriſtianiſmi medullam in ſe complectitur. Vultis etiam alterum, ex eadem concha petitum, veſtris auribus inſeram σαλάγμιον? d Rom. 12. d μὴ φρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν· ἀλλὰ φρονεῖν, εἰς τὸ σωφρονεῖν. i.e. Ne quis ſapiat ſuprà quàm oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatẽ. Quid venuſtiùs, quid ſuaviùs, quid preſsiùs, quid diviniùs dici potuit? Et hoc Græcum eſt. Et hoc, & illud, Lingua Græca nobis alma mater peperit. Abſque qua fuiſſet, caruiſſemus etiam Te

Chryſoſtome!

Chryſoſtome ! Te *Baſilei* ! Te *Nazianzene* ! Te *Niſſene* ! Te *Athanaſi* ! Te *Cyrille* ! Te *Theodorete* ! Te *Ignati* ! Te *Epiphani* ! Defuiſſent etiam , non pluſculi , ſed propemodum omnes Autores Latini, quos hæc ſola *Lingua Græca* quaſi plenâ volâ nobis eſt largita. *Terentium* ex *Menandro* expreſsit , & *Apollodoro* , (ut indicant *Inſcriptiones*) [c] *Græcorum ritus cum Plauto* ſecutum ; Ex *Polyæno* , & Græcorum Tacticis, *Vegetium* ; ex illorum Geoponicis, *Catonem* , *Varronem*, *Columellam*. Hæc etiam *Marcum Tullium Ciceronem* (ex

[c] *Ger. Voſs. Poëtic.*

[a] Regia progenies, & *Tullo* sanguis ab alto. *Sil. Italic. lib.* 8. & Plutarch.

[b] κατὰ τὴν Ἀσίαν ῥητόρων ἠκροάσατο; Κικέρων. Strabo lib. 13 & 14.

[a] *Tullo* Volscorum Rege oriundum) Humano Generi indulsit, Monstrum Eloquentiæ, ex omnibus Oratoribus Græcis (quos [b] audivit) *Atticis*, & *Asiaticis* conflatum. Hic *Senecarum* alterum ex Græcis Tragœdis efformavit: eadémque *Virgilio* beavit Orbem, Natione Italo; at in Operibus suis immortalibus, usquequaque Græco; in *Eclogis*, *Theocritum*; in *Georgicis*, sive agrorum culturâ, *Hesiodum*; in *Æneïde*, *Homerum* secuto, ídque in omnibus suis Libris, excepto secundo, (in quo agit *de excidio Trojæ*,

Trojæ, de Sinone, de equo ligneo) quem è [c] *Pisandro* penè de verbo ad verbum transcripsit. Hæc *Horatium* dedit, cui *Dircæus* Cycnus *Pindarus* præcinuit. Hæc *Salustium*, Autorem stylo elegantem, Oratione pressum, Sententiis densum, judicio gravem; & *Cornelium Tacitum* argutum ingenio, censurâ asperum, & robusto scribendi charactere, sibi proprio, insignem, ex *Thucidide* fabricata; et in Re Medicâ, & Chirurgicâ, Scriptorem unum & unicum, *Cornelium Celsum*; nisi *Macrum* aliquid esse

[c] *Macrob. Saturn. lib. 5. Cap. 2.*

velitis, qui in Re Botanica poëticè lusit. At interiorem Philosophiam integram & illibatam sibi servavit. Cujus (olim agrestis) Italia nè unam quidem guttulam Orbi reliquo propinâsset; nedum vidisset unquam, aut *Mirandulanum* Principem, aut *Hermolaum Barbarum*, aut *Manutios*, aut *Bembum*, aut *Etruscum Angelum*, nisi priùs fuisset ab exsulantibus Græcis instituta. Nam, ut Poëta canit,

Græcia *capta ferum victorem vicit; & Artes*
Intulit agresti Latio.——

Intulit

Intulit inculto, limam; ignaro, ſcientiam; expolivit Linguam; Philoſophiam invexit, mentem erudivit. Quippe quòd, ex illo funeſtiſsimo *Byzantii* incendio Fax Artium emicuit; & ex vaſtatæ *Urbis* favilla, *Grammatici*, *Rhetores*, *Philoſophi*, in Boreales Europæ partes nobis arrepſere. Hi fuere, *Laſcaris*, *Gaza*, Muſurus *Cretenſis*, *Chalcondiles*, *Argyropylus*, *Trapezuntius*, *Pletho*, *Chryſoloras*. Quorum operâ, *Lingua Græca* mirificè propalari, et *Eruditio* ex ea creſcere; & TESTAMENTUM NOVUM emendatiùs

Crucius in Germania-Græcia p. 8.

datiùs exſcribi. Quo diſtinctiùs, & enucleatiùs explicato; Chriſtus Eccleſiæ ſuæ clariùs affulgere, quàm antea in illo *Veteri Hebræo*. In quo, tanquam per nebulam, aut *Figurarum* [d] *tranſennam* apparuit; at in NOVO, eodémque *Græco*, verus Ille Phœbus, explosâ Gentilium deorum fabulâ, & diſcuſsis *Typorum* umbris, fulgentiſsimus nobis [e] Ortus eſt. Ille, qui eſt [f] ἀνατολὴ ἐξ ὕψους: Ille, qui eſt, [g] φῶς Ἐθνῶν, [h] φῶς τοῦ Κόσμου, intra Evangelii ſui Horizonta nobis glorioſiùs eluxit. O Divinam illam lucem!

d 70 διὰ δικτύων. Cant. 2. 9.

e ἀνατολὴ Heb. 7. 14. ſc. *inſtar Solis*.

f Oriens ex alto; vel, qui prodit ex alto. Lucæ 1. v 78.

g *Lux Gentium*. Luc. 2 32.

h *Lux Mundi*. Joan. 8. 11.

Lucem! ô ſacrum EVANGELIUM! ô verum illud animarum Nepenthes! ô TESTAMENTUM admirabile! [c] Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ! Non dixit, ΝΕΑ, ſive recèns facta; ſed ΚΑΙΝΗ, Nova & Admiranda. Fadémque vocatur à Sp. S. [d] ΚΡΕΙΤΤΩΝ ΔΙΑΘΗΚΗ, i. e. Teſtamentum melius, ſc. Veteri. Et ut Veteri melius eſt; ità etiam et illa Lingua melior eſt cenſenda, quâ eſt ab Apoſtolis Sp.S. afflatu, conſcriptum: ut cum meliore Teſtamento *melior* etiam *Lingua* coaluerit. Quòd verò *Vetus* Illud pri-

[c] Hebr.

[d] Heb. 8.6.

us fuerit, & antiquius Novo; id in confeſſo eſt: at intelligendum eſt de *Tempore*, non de *Honore*. Et cùm *Hic*, & *Illud*, cœperit à Geneſi; Illud tantùm à *Priore*, *Mundi*; Hoc autem, à *Nobiliore*, *Chriſti*. Qui, ut in hoc ſolo Teſtamento ſuo, ſeipſum, involucro Typico exuto, patefecit; ità etiam ex hoc ſolo, non Aurum, non Argentum, non lapides [f] πολυτίμους; ſed ſeipſum nobis legavit, tanquam perpetuum animarum Viaticum in Cœleſtem illam Hieroſolymam anhelantium. Qui obiit, ut nos viveremus;

[f] *Valde pretioſos.*

veremus ; qui revixit, nè nos moreremur. Ille faciendo liberavit nos à culpa : Patiendo, à Pœna. Quippe ex vivo lateris ſui fonte, effudit *Aquam* , ut Peccata noſtra ablueret: effudit *Sanguinem*, ut nos Peccatores redimeret. Neque ſalvos nos eſſe voluit, Legalium Operum circuitu; ſed unius Paſsionis ſuæ Ἱλαστικῷ ; Et ſolius Fidei noſtræ Εὐχαριστικῷ, (Beatiſsimo Compendio) conſtituit nos hæredes cœli ; & liberans nos à ſervitute Peccati, aſſeruit nos in libertatem Sanctorum. In hoc ergò Teſtamento Græco in-

intelligendo elaboremus ; in hoc omnes noſtras vigilias, et cogitationes, & curas, & *Linguas*, & *Artes*, & *Scientias*, & *Facultates* conferamus. In quo etiam illuſtrando, non pauci olim viri docti, et nuperis quidem annis, ſuam poſuere operam. Quorum celebriores fuerunt, *Eraſmus*, *Stephanus*, *Beza*, *Caninius*, *Scaligerorum* alter, *Caſaubonus*, *Heinſius*, *Grotius*, *Scultetus*; & ex noſtratibus, *Pricæus*, & *Leius*, uterque *Oxonienſe*. Siquidem Chriſtus in Evangelio ſuo, tanquam in Cœleſti ſerinio,& Amoris ſui,& Salu-

tis noſtræ cimelia repoſuit, Cœlúmque nobis in eo recondidit. Quid ergo? Affectatis viam ad Cœlum? Cognoſcite Chriſtum, qui eſt, ut ſemel dicam, [a] *omnia*, & in *omnibus*; ex [b] quo, per quem, & ad quem ſunt *omnia*. Si velitis autem, Chriſtum cognoſcere; cognoſcite *Evangelium*. Vultis Evangelium cognoſcere? Cognoſcite *Græcum*; quod manuducit nos ad Illum, cujus [c] *Nomen* & *Teſtamentum*, eſt utrumque Græcum? Ergò, ſi Chriſtum natum, & conſpicuum factum in Carne, juſtifi-

[a] Coloſs. 3. 11.

[b] Rom. 11. 36.

[c] Luc. 2. 11. Σωτὴρ Χριστὸς Κύριος, Salvator Chriſtus Dominus. Σωτὴρ ἐστὶ καὶ Ἰησοῦς.

justificatum in Spiritu, conspectum ab Angelis, prædicatum Gentibus, crucifixum, mortuum & sepultum, resurgentem à sepulcro, adscendentem in Cœlum, sursum receptum in gloriam, cognoscere velitis, *Cognoscite Græcum*. Si denique, Christum Verbum, si verbum Christi, si Mysteria verbi, si * Oracula Evangelii cognoscere velitis, *cognoscite Græcum*: ediscite Linguam Græcam, *Artium* Matrem, *Musarum* nutricem, *Scientiarum* Clavem, *Literarum humaniorum* Reginam ac Dominam, necessariò tamen cognitioni Christi

* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Rom 3. 2.

Chriſti Crucifixi ancillantem. Ediſcite ergò imprimis Hanc Linguam Græcam, *Characteribus* ſuis, venuſtam; *præceptis* brevem; comparatu facilem; *in componendo* felicem; *ſenſu* plenam; *ſententiis* refertam; *autoribus* numeroſam; *amplitudine* ſuâ immenſam; *Græcâ* pariter & *Latinâ prole* fœcundam; *Verbis* copioſam; *Ortu* nobilem; *uſu* Divinam; *Auditu* perjucundam.

DIXI.

P Ag. 50. lin. penult poſt *Celſum*, repone, ex *Hippocrate*.